

nem, lætum principium, felicemque exoptatumque finem, heic, & æternum consequeris. In super: Cibato famelicos: potato sitibundos: vestito nudos: consolato perturbatos: visitato ægrotos: & captiuos: & habebis, quod desideraueris.

*Robertus Vallensis Rugl.*

*Spiritus est intus, subito talem accipe, namq̄,*

*Non properans, corpus diuidere arte potes.*

*Simpliciter feces terra disunge vapore*

*Hoc factō, addatur frigida fontis aqua.*

*Tali conspergas has sedulitate frequenti,*

*Tunc verum Elixir totius artis habes.*

**EXHORTATIO ET INFORMATIO**  
**AD OMNEIS ARTIS HVIVS AMATORES,**  
 qua in sese, tamquam in speculo, intueri poterunt, quid in fundamento artis usurpatum, & essentiale, an quoq; possibile, nec ne, fiet, vt ad veram artem perueniatur, & quomodo cum ea res sese habeant.

**O**Mneis & singulos, præsertim vero per dilectos meos liberos, nunc heic, absque omni fūco, fideliter volo admonitos, vt videlicet ab omnibus phantasmatis abstineant, & eosdem, illarum rerum gratia, auxiliante diuina gratia, diligenter informabo.

Primo, vos rogatos, & fideliter admonitos volo, vt cum primis vobis à vulgari plebeciorum Alchimia caueatis. Tantum siquidem expertus sum, vt nemini velim  
 consu-